Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



reuertimini in idipsum ne temptet uos sathanas propter
incontinenciam uestram. Hoc autem dico secundum in
dulgenciam: non secundum imperium. Volo autem
omnes homines esse sicut me ipsum: sed unusquisque
habet proprium donum ex deo. alius quidem sic. alius ue
ro sic. Dico autem non nuptis et uiduis. Bonum
est illis: si sic permaneant sicut et ego. Quod si se non
continent nubant. Melius est enim nubere quam uri.
Nil. t. Cum esset ihesus in una ciuitatum: S. lucam.
et ecce uir plenus lepra. Et uidens ihesum et procidens
in faciem: rogauit eum dicens. Domine: si uis potes
me mundare. Et extendens manum: tetigit illum
dicens. Volo mundare. Et confestim lepra disces
sit ab illo. Et ipse precepit illi ut nemini diceret:
sed uade ostende te sacerdoti. et offer pro emundacione
tua sicut precepit moyses in testimonium illis.
Perambulabat autem sermo magis de illo: et con
ueniebant turbe multe. ut audirent et curaren
tur ab infirmitatibus suis Dominica iiii. ad romanos.
Fres: Nemini quicquam debeatis: nisi ut inui
cem diligatis. Qui enim diligit proximum: legem
implebit. Nam non adulterabis. non occides.
non furaberis. non falsum testimonium dices.
non concupisces rem proximi tui: et siquid est aliud
mandatum. in hoc uerbo instauratur: diliges
proximum tuum sicut te ipsum. Dileccio proximi

219